



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Nobili Viro Dvcī Brabantiae & uxori ejus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

quod ad purgandam & famam & conscientiam redundabit. Vnde non permittatis vos aliquo modo seduci sub specie pietatis ab iis qui non communem sed specialem utilitatem inquirunt; quoniam ad hoc principaliter debet Principis electio procurari, non ut provideatur certa persona, sed ut reipublicae consulatur, quod utique fieri non potest, nisi persona Principis provida sit & justa, strenua & honesta. Ut autem de nostro beneplacito & consilio reddamini certiores, dilectum filium Aegidiū Acolythum nostrum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris merito sua probitatis acceptum, de cuius plenē fidelitate confidimus, ad vos duximus destinandum, cui in iis quæ vobis ex parte nostra proponeret indubitate fide creditatis. Quia verò per falsarios multa solent sèpius obtineri, si forsan, quod non credimus, aliquæ litteræ contra tenorem præsentium ante datam istarum quasi à nobis apparuerint imperatae, ipsas novitatis esse falsas. Datum Laterani.

MAGNTINO ARCHIEPISCOPO,  
Episcopo Sabinensi.

Epist. 12.

**S**icut frequenter tibi proposuimus viva voce, non est qui post Romanum Pontificem vel in Ecclesia Romana vel in imperio Romano rantium locum obtineat quantum obtines in utroque. Vnde te oportet sollicitè vigilare ut juxta quod de tua fraternitate confidimus, & honorem imperij cum Ecclesiæ exaltatione procures, & augmentum Ecclesiæ cum imperij promoveas incremento; quatenus per tuae sollicitudinis studium inter Ecclesiam & imperium pax perpetua conservetur. Miramur autem non modicū quod cùm publicè nobis coram fratribus promiseris viva voce quod nihil prius finaliter de imperij ordinatione tractares quam per litteras & nuntios tuos nostræ consuleres beneplacitum voluntatis, nupet in colloquio quod fuit inter Andernacum & Confluentiam te procurante, sicut pro certo didicimus, celebratum aliquid diceris quasi finaliter tractavisse, cum facta compromissione in quosdam Principes tam ecclesiasticos quam etiam seculares, quod illi decreverint in colloquio quod in proximo est condictum ab universis debeat observari. Quia verò nec litteras nec nuntios super hoc, licet expectassimus non modicū, à tua fraternitate recepimus, ne videremur merito negligentes si propositum nostrum antequam prædictum colloquium celebretur non exprimeremus Principibus, dilectum filium Aegidiū Acolythum nostrum, virum providum & discretum, nobis & fratribus nostris merito sua probitatis acceptum, ad te principaliter & ad alios Principes destinamus, per ipsum & litteras quas dirigimus Principibus universis intentionis nostræ beneplacitum & salubre consilium, sicut ex eis colligere poteris, apertius innuentes. Rogamus igitur fraternitatem tuam, monentes attentius & exhortantes in Domino, & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus cùm plenæ intentionem nostram, cùm adhuc præsens apud nos existeres, intellexeris, taliter annuas votis nostris, taliter in hoc negotio te habere procures ut contra communem utilitatem tam

Ecclesiæ quam imperij nihil penitus attentre. Ad hæc, prædictum Acolythum nostrum benignè recipias, & ea quæ tibi ex parte nostra dixerit proponenda & sine dubitatione credas & studeas efficaciter adimplere; ut zelus quem in juventute tua circa honorem Ecclesiæ prædecessorum nostrorum temporibus habuisti, diebus etiam nostris in tua senectute profiliat in effectum; & qui pro illa haec tenus legitimè certavisti, cursum studeas tui certaminis laudabiliter consummare; ut securè cum Apostolo clamans: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; ideoque reposa est mihi corona iustitiae, quam redder mihi Dominus in illa die justus iudex. Datum Laterani.

NOBILI VIRO DUCI BRABANTIAE  
& uxori ejus.

Epist. 13.  
Vide iusta epist. 65.

**A**d nostram novitatis audientiam pervenif-  
fe quod quidam genealogiam vestram à longè calculantes, dilectam in Christo filiam nostram nobilem mulierem [ Mariam ] filiam vestram carissimo in Christo filio nostro Ottoni filio quondam illustris memoriarum [ Hentici ] Ducis Saxoniarum sponso suo electo & coronato in Regem affinitatis linea ultra quartum gradum, quod vos non recognoscitis, missit pertinere, licet matrimonium ipsum nullus accuset. Ut autem conscientia vestra non tam purgetur quam consolidetur, fuit postulatum à nobis ut super hoc dignaretur misericorditer dispensare. Si ergo res ita se habet, securè, propter multam & magnam utilitatem quæ de ipso matrimonio proventura speratur, ad consummationem ipsius cum divini nominis reverentia procedatis. Datum Laterani.

PRINCIPIBVS ALAMANNIÆ.

Epist. 14.

**V**T ij qui super provisione imperij, quam fore laudabilem in omnibus affectamus, nostris monitis salubribus acquiescent, apostolica sedis patrocinio specialius foveantur, præsentibus litteris duximus intimandum quod omnes qui cum eo qui assumptus in Principem, nostram obtinuerint gratiam & favorem, compositionem inierint, super possessionibus, dignitatibus, & honoribus dante Domino manutenerem curabimus & fore, facientes eam auctoritate apostolica inviolabiliter observari, ceteris nihilominus secundum officij nostri debitum apostolica sedis gratiam impensuri. Datum Laterani.

EPISCOPO OSTIENSIS  
apostolica sedis Legato.

Epist. 15.

**V**T carissimos in Christo filios nostros Philippum Francorum & Iohannem Anglorum Reges illustres ad apostolica sedis obsequium plenius inducere valeas & in ejus devotione firmius solidare, præsentium tibi auctoritate concedimus, per apostolica scripta mandantes quatenus si qua forsan inter se vel cum aliis obligatione tenentur illicita, eam securè dissolvas, cùm secundum Prophetam dissolvere debeamus colligationes impietatis & fasciculos deprimentes. Illam enim colligationem censemus illicitam quæ regiæ devotionis obsequium